

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CXIX.

*S. in Christo. Reverende vir, Domine & frater  
in Christo observande.*

**P**etiit à me præsentium literarum Lator, homo pius & bonus, ut & ego quoque filium ejus T. H. commendarem : Verùm cum D. Cancellarius, Compator meus chariss. pro solita sua erga omnes bonos humanitate & benevolentia diligenter hoc fecerit, nolo tibi proluxa mea commendatione molestus esse, cum sciam quantum omnibus, maximè verò ecclesiarum ministris, faveas. Hoc saltem à R. T. H. reverenter oro, ut puerum istum ita commendatum habeas, ut intelligat parens ejus, commendationem nostram apud te pondus habuisse, quo officio me tibi devinctum, longè reddes devinctiorem. Vale in Christo felicissime, & omnibus Collegis tuis salutem ex me reverenter dicas. Datum Eslingæ, 10. Aprilis, Ao. 67.

T. R. H.

Eberhardus Bidenbach:

CXX.

*S. D. Clarissime vir, patrone colende.*

**D**ecubui ex capitis & renum doloribus acutissimis aliquot dies, qui pridie in eclipsis, die octava Apprillis, ad eò intendebantur, ut τὸ δάκρυμα ἔθανάτω ἐν ἡμετέροις sentirem, ἵνα μὴ πεισθῆς ὁ ἰπ' ἡμαυτοῦ, ἀλλ' ἰπὸ τῆς Θεοῦ τῆς ἐκείνου τῶν κερῶν, ἕως ἐν τηλικύτω θανάτῳ ἰρρύσαστο ἡμέ, καὶ ῥύσται, εἰς ὃν ἤλπικα, ὅτι καὶ ἐπι ῥύσεται, σωτηριεργόντος, καὶ σὺ ἰσῶς ἡμῶν, τῆ δούσει. Rogatus autem sum à viro scholæ vestræ celebritate Principum meorum subdito, ut filios ipsius, quos scholæ gubernatoribus adductus, isthic potissimum erudiri cupit, præcipuis scholæ gubernatoribus commendarem. Scripsi igitur ad te & D. Sturmium; ac te præcipuè oro, ut Patris vices in horum nobilium adolescentum studiis & reliquæ vitæ rationibus recte constituendis suscipias. Instructi sunt viatico centum Joachimicorum, quos à præceptore & hospite eorum privato pater asservari & utiliter collocari petit. Hunc præceptorem & hospitem tuo potissimum consilio deligi, atque ipsis præfici optarim : Sed Patris puerorum voluntatem ex adjunctis literis copiosius cognosces. Mitto tibi pagellas aliquot, & libellum, scholæ nostræ imaginem qualemcunque adumbrantem. Scriptum ad Antuerpienses nunc retexere & consolationem addere, DEO jnvante, institui. Non enim dubito, tristem lanienam & horrendas calamitates mox secuturas esse; Quibus

H h

9cca-

occasionem & *αἰετοειδῶς* speciosam præbent Sacramentariorum tumultus seditiosi: Quos arcem suæ doctrinæ in media Germania jam collocasse, & Anularum ac eruditissimorum ac sapientum plerorumque in Academiis etiam, applausum non obscuros habere, doleo. Ecclesiæ in hoc Balthico litore Dei beneficio adhuc in deposito doctrinæ Lutheri concordēs & constantes & cum vestra Ecclesiæ animo & sententiis conjunctissimæ sunt. Te oro, ut paternam erga me benevolentiam, infelici successu consilii de migratione ad vos mea, imminui non patiari. Mea studia & officia, cum omni observantia & grata prædicatione, vicissim tibi perpetuò constabunt. Bene & scèliciter vale. Rostochii, 13. Aprilis, Anno 1567.

David Chytræus.



CXXI.

*Salutem in Christo Jesu.*

CONstitueram Argentoratum accedere, sicut ex clarissimo viro, D. Erythzo intellexisti. Sed fieri cum non potuerit, dabis mihi hoc tempore veniam. Certas enim ob causas mihi festinandum est, ut domum redeam. Ecclesia Hagenoensis privata est duabus columnis, D. D. Cornelio & D. Melchiore à Sesselsheim. Et adversarii vigilant, ut quod impedire non possunt, saltem turbent. Idemque nobis orandum est, & diligenter faciendum officium. Habent priores commemorati patroni Ecclesiæ in Domino defuncti successores pios & fideles, qui strenue officium suum sunt facturi. Ecclesiam ego inveni frequentissimam, quæ cottidie augetur. Et quum superaverint aliquos insultus diaboli, spero esse etiam constanter perseveraturos in semel suscepta confessione doctrinæ veritatis, pro quibus tu etiam orabis. Proxime quum reversus fuero, Domino volente, apud vos transibo. Editionem libri tui D. Brentius & ego avide expectamus, metuimus, ne fortè impedita esset. Optimo loco sunt res nostræ, quia Sathan furit & mundus murrat, Deus autem in cælis eos irridebit. D. Brentius & ego universum collegium vestrum & te imprimis eum D. Sturmio reverenter salutant. Orate etiam pro me misero peccatore. Bene & scèliciter valete. Hagenoæ VI. Non. Maji 1567.

*T. ex animo*

Jacobus Andræ, D.  
ut semper.

CXXII.